
SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
LVX
FIAT
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

DE
TIBERIANI QUAE FERUNTUR FRAGMENTIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS PROPOSITIS
DIE XXI. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXXIX HORA XII
IN PUBLICO DEFENDET

AUCTOR
RAIMUNDUS OEHLER
SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
HERMANNUS KNAUTH, DR. PHIL.
GUALDEMARUS OEHLER, CAND. PHIL.

HALIS SAXONUM
TYPIS KARRASIANIS
MDCCCLXXIX.

VIRO ILLUSTRISSIMO

GUILIELMO BARONI DE ERLANGER

DOCTORI UTRIUSQUE IURIS

S.

De Tiberiani vita Hieronymus chron. ad a. Abrah. 2352 = 336 p. Chr. haec habet: „Tiberianus vir disertus praefectus praetorio Gallias regit.“ Ad eundem Tiberianum recte, ut videtur, Teuffelius[1]) revocat tres leges codicis Theodosiani et Justiniani ad Tiberianum quendam scriptas[2]).

Haec igitur in medio relinquamus.

Fragmenta autem, quotquot sub nomine Tiberiani feruntur partim apud auctores veteres leguntur, partim in codicibus scripta sunt.

Atque ut illa enumeremus[3])

I Serv. ad Verg. Aen. VI, 136 haec habet: Alii dicunt ideo ramo aureo inferos peti, quod divitiis facile mortales intereunt. Tiberianus: „Aurum quo pretio reserantur limina Ditis.“

II Idem ad Verg. Aen. VI, 532: Alii altius intellegunt; qui sub terra inferos esse volunt secundum chorographos et geometras, qui dicunt terram σφαιροειδῆ esse, quae aqua et aëre sustentatur: quod si est, ad Antipodas potest navigatione perveniri; qui, quantum ad nos spectat, inferi sunt, sicut nos illis. Hinc est, quod terram esse inferos dicimus;

---

[1]) Hist. litt. Rom. ed. III p. 938.

[2]) Cod. Theod. XII, 5, 1: Imp. Constantinus A. Tiberiano comiti per Africam. — Dat. Nicomediae III Kal. Aug.; Constantino A. VII et Constante. C. coss. (a. 326 cf. Haenel. l. c.).

Cod. Iust. VI, 1, 6: Idem (Imp. Constantinus) A. ad Tiberianum comitem Hispaniarum. — Dat. XV Kal. Septembr. Pacatiano et Hilariano. coss. (a. 332).

Cod. Theod. III, 5, 5: Imp. Constantinus A. ad Tiberianum vicarium Hispaniarum. — Dat. Id. Iul. Constantinopoli. Accept. XIV Kal. Maii. Hispali Nepotiano et Facundo coss. (a. 336 cf. Gothofred. in prosopograph. cod. Theod. p. XXXVI).

[3]) De fragmentis cf. Teuffel l. c.; A. Riese Antholog. Lat. II p. X not. 5; E. Bährens: Carmina Latina inedita p. 27 sq.

quamquam illud sit (fit? Bs.), quia novem cingitur circulis. Tiberianus etiam inducit epistolam vento allatam ab Antipodibus, quae habet: „Superi inferis salutem"; qua occasione tractat reciprocum hoc quod diximus supra [4]).

Hactenus Servius; cetera autem apud Fulgentinm inveniuntur, qui

III in Mytholog. I, 26 (p. 62 ed. Muncker) haec scribit: De sanguine eius nasci fertur Pegasus in figuram famae constitutus. Virtus enim, dum terrorem amputaverit, famam generat. Unde et volare dicitur, quia fama est volucris. Tiberianus: „Pegasus hinniens transvolat aethram" metro asclepiadeo.

IV idem in Mytholog. III, 7 (p. 120 Muncker): Nam et Tiberianus in Prometheo ait deos singula sua homini tribuisse.

V idem in Vergil. contin. (p. 154 Muncker): At vero aureum quod diximus, claritatem facundiae designare voluimus; memores Platonis sententiae, cuius hereditatem Diogenes Cynicus invadens nihil ibi plus aurea lingua invenit, ut Tiberianus in libro de Socrate memorat.

VI idem in exposit. serm. antiq. s. v. sudum: Sudum dicitur serenum. Tiberianus: „Aureos subducit ignes sudus ora Lucifer."

Quae fragmenta cum satis certo iudicio omnia eidem scriptori vindicari non possunt, tum ex iis, quae sub. n. III—VI commemoravi, vix certi quidquam de Tiberiani ingenio ac natura colligi licet.

Ex fragmentis vero in codicibus scriptis carmen, cui inscriptum est, „versus Platonis a quodam Tiberiano de Graeco in Latinum translati" post editiones M. Hauptii [5]) et I. Quicherati [6]), quae singulis libris nitebantur A. Riesius [7]) recensuit

---

[4]) Servii verba in mythographum Vaticanum III (p. 204 ed. A. Mai) fluxisse Baehrens. l. c. p. 27 annotat.

[5]) Ovidii Halieutica, Gratii et Nemesiani Cyneg. cet. p. 65. (cf. p. XXVI).

[6]) Bibliothèque de l'école des chartes IV p. 267 sq. Sero commentario iam perfecto illa editio ad manus fuit, ita ut per temporis angustias nihil fere liceret, nisi ex locis a Quicherato laudatis eos addere, qui nos fugerant.

[7]) Antholog. Lat. c. 490.

trium mss. varietate subjecta, cui duorum codicum lectiones E. Baehrensius[8]) sua carminis recognitione addidit.

Quibus, ut ita dicam, frustulis E. Baehrensius duobus abhinc annis tria carmina inedita ex codice Harleiano 3685 adiecit. De his quattuor carminibus hanc dissertationem instituendam suscepi. Atque primum quidem singula carmina commentario et critico et exegetico illustrabo subiecta commentatione de duobus, quae prima tractanda mihi proposui carminibus, deinde omnium rationibus grammaticis, rhetoricis, metricis expositis inquiram, num omnia, quae Tiberiani nomen prae se ferunt, eidem poetae vindicanda sint, et si unius sunt, num rerum tractatarum et formae ratione habita temporibus Tiberiani vel potius nomini Tiberiani addicenda sint.

Atque primum quidem carmen, quamquam nec re nec forma ita praestat[9]), tamen commentario non plane indignum est, quippe quod unum ex iis, quae sub Tiberiani nomine feruntur carminibus certe Tiberiano tribuendum sit, cum Servius ad Verg. Aen. VI, 136 (cf. frg. I) tertium versum laudet addito Tiberiani nomine, ut habeamus, unde proficiscentes diiudicare possimus, num cetera carmina Tiberiano tribuenda sint.

---

8) l. c. p. 28 sq.

9) Nam de auro satis multi poetae ab Augusti temporibus usque ad medium aevum scripsere, neque exempla aut verba nostri carminis multum discrepant ab illis more ac consuetudine poetica tritis. Atque huius quidem rei in commentario singulis locis mentio fiet.

I.

[Versus Socratis philosophi.]

Aurum, quod nigri manes, quod turbida versant
Flumina, quod duris extorsit poena metallis;
Aurum, quo pretio reserantur limina Ditis,
Quo Stygii regina poli Proserpina gaudet;

Codicem Harleianum 3685 chart. saec. XV olim Peutingerianum accurate descripsit E. Dümmler (Zeitschrift für deutsches Alterthum N. F. IX p. 84).

Fol. 26: Inscriptum: Incipit versus Sogratis philosophi. — 4 Quos tigii.

Quae in hoc carmine tacite emendata sunt Baehrensii libro debeo.

1. Sententia verbis „Aurum, quod nigri manes — versant" expressa satis mirabiliter dicta est.

nigri manes: cf. carm. de Aetna v. 75: vates Sub terris nigros viderunt carmine manes.

2. Paulus sent. V, 17 § 3: mediocrium delictorum poenae sunt metalla, ludus, deportatio (Bs.).

3. Servius ad Verg. Aen. VI, 136 (vide frgm. I) hunc versum laudat. [cf. Menand. Monost. 538: *Χρυσὸς δ' ἀνοίγει πάντα κᾀΐδου πύλας* (Erfurdt et Meineke: *κἂν Ἅιδου πύλας*)]. Sententia autem de auro hominibus mortifero saepe a poetis usurpata est, cf. Rutil. Namat. de reditu suo I, 357; Sulpic. Luperc. de cupiditate (Riese, Anthol. Lat. c. 649) v. 4: ferali pretio; Prop. IV, 7. 2.

Imitatus est hunc versum Columbanus epist. ad Sethum v. 71: Divitibus nigri reserantur limina Ditis. cf. eiusd. epist. ad Fedolium vv. 76—79: Et reserari Munere certo Nigra feruntur Limina Ditis. Liberius eandem sententiam expressit anonymus declamator codicis Salmasiani (Riese, Anthol. Lat. c. 21) v. 201: Auro emitur Pluton, Phlegethon transcenditur auro. — Iam cum uterque suam rationem sequens totum fere hoc carmen imitandum sibi proposuerit, ut infra demonstrabo, optimum erit, omnes eorum locos quodammodo cum Tiberiano concinentes in eadem commentatione complecti.

4. Ad sentent. cf. Verg. Aen. VI, 142 (Bs.).

Stygii regina poli Proserpina: Lutatius ad Stat. Theb. IV, 526: Pythagoras dicit duo esse hemisphaeria, quibus proprios deos assignat et facit superioris regem Iovem et reginam Iunonem, inferioris Ditem Iovem esse infernum, Proserpinam Iunonem infernam. — Ceterum hoc loco Tiberiano duo versus Statii obversati esse videntur: Stat. Theb. X, 68: Siderei regina poli; VIII, 47: Stygio praetexam Hyperiona caelo.

Aurum, quod penetrat thalamos rumpitque pudorem,
Qua ductus saepe inlecebra micat impius ensis,

. . . .

In gremium Danaes non auro fluxit adulter
Mentitus pretio faciem fulvoque veneno?
Non Polydorum hospes saevo necat incitus auro?
Altrix infelix, sub quo custode pericli

---

6 Quo ductus. — 7 danais. — 8 p̄tio. — 9 polidorum hospis saeuo. — 10 Astrix.

---

5. Ad sententiam cf. Rutil. Namat. I, 359: Aurea legitimas expugnant munera taedas; Sibyll. orac. VIII, 27 (ed. Friedlieb): *Κοὐδὲ γάμος ἅμα χρυσῷ ὅλος ποτὲ τίμιος ἔσται*; ib. III, 43.

6. Ad sentent. cf. Sibyll. orac. II, 117: *Χρυσέ — Σοῦ γὰρ ἕκητι μάχαι τε λεηλασίαι τε, φόνοι τε*; III, 640: *καὶ ἀντίον εἰς ἔριν αὐτῶν Ἔλθωσι χρυσοῦ τε καί ἀργύρον εἵνεκεν*; cf. III, 235.

impius ensis: cf. Ov. Met. XIV, 802.

Post versum 6 nonnulla desunt, quibus explicetur, quid tandem auro tot periodis relativis onerato fiat.

7. Exemplum Danaës saepe usurpatur ad vim auri demonstrandam. cf. Hor. c. III, 16, 1 sq.; Lactant. inst. div. I, 2; Aetna 88; Rutil. Nam. I, 360; Sulpic. Luperc. de cupid. 7: Sic quondam Acrisiae in gremium per claustra puellae Corruptore auro fluxit adulterium.

8. Ad sententiam cf. Stat. Theb. I, 253: licet septis et turribus aureus intres Mentitis ignosco toris.

mentitus faciem: cf. Manil. Astron. p. 65, 25 (ed. Ios. Scalig.): Mentitur faciem mundus.

9. Polydori fere mentio fit, ubi „auri sacra fames" ad pessima quaeque ducens describitur. cf. Prop. (ed. L. Müller) IV, 12, 55 sq.

saevo: Cur Baehrens. „scaevo" vel „foedo" malit, quam „saevo" non video: cf. Stat. Theb. III, 709: saevoque genas fulgebitis auro.

10. *sub quo custode pericli Commendas natum:* Bs. coni: cui mandas. Haec Baehrensii coniectura, qua Polymestoris personam in versum 11 introducit mihi minus placet: versus enim 12 repetere mihi videtur per chiasmum sententiam vv. 10 et 11, ita ut „Fit tutor pueri" ad „cui regia pignora credis" et „fit custos sanguinis aurum" ad „sub quo custode pericli Commendas natum" referendum sit, totaque sententia ad aurum spectet. Itaque aut codicis lectio retinenda est, mira sane constructione „commendare aliquem sub aliquo" (dictum est, ut videtur, analogia verborum: ponere (Hor. c. I, 22, 21), mittere (Liv. 3, 28), demittere (Liv. 22, 57, 6) aliquem sub aliqua re) aut aliquid aliud excogitandum est.

Commendas natum, cui regia pignora credis?
Fit tutor pueri, fit custos sanguinis aurum!
Inmitis nidos coluber custodiet ante
Et catulos saevae poterunt servare leaenae.
Sic etiam ut Troiam popularet Dorica pubes
Aurum causa fuit. Pretium, dignissima merces
. . . .
Infamem probro palmam non vendit adulter?
Denique cernamus, quos aurum servit in usus:

---

12 custus. — 14 catulos fere poterunt. — 15 Sic et iam utro iā popularet. — 17 conuendit. — 18 uenit in usum.

---

11. *natum* — *regia pignora:* cf. Auson. Parent. IX, 26: Liquisti natos, pignora nostra, duos.

13. Sententia vv. 12—14 haec est: Ante aves a serpentibus custodientur et catuli a leaenis conservabuntur, quam auro Polydorus defendetur ab insidiis.

Inmitis: haec vox et ad „nidos" (Verg. Georg. IV, 17: nidis inmitibus) et ad „coluber" (Plin. X 74 (96): serpentes inmitissimum animalium genus) revocari potest: hoc autem solum sententiae aptum est, quo immanitate ferarum immanius depingatur aurum. Eadem de causa illud „fere" codicis verbo „saevae" (Bs. coni.) mutandum duco, ita ut catulos = canes parvulos interpreteris. — Fortasse autem pro „catulos" scribendum est „vitulos" cf. Hor. c. III, 11, 40: Quae velut nactae vitulos leaenae cet. Licent. c. ad. Augustin. 94: Esuriens vitulos alet ante leaena sequaces.

ante: non addita „quam" particula: cf. Stat. Theb. VII, 550: Tene ille — remittet? Ante haec excusso frondescet lancea ferro, Inachus ante retro nosterque Achelous abibunt.

15. Vv. 15 et 16 haec: „Sic etiam ut Troiam popularet Dorica pubes Aurum causa fuit", et si sententiam et si verba respicis, bene se habent, quae deinceps sequuntur: „pretium, dignissima merces" non quadrant; nam cum pretium et merces belli Troiani inprimis Helena fuit recuperata, tum haec pretii et dignissimae mercedis commemoratio ineptissima est, quia illud „Aurum causa fuit" non de praeda Troiana, sed de aureo illo Discordiae malo intellegendum est: Itaque post vocem „fuit" interpungendum, post vocem „merces" lacuna constituenda est.

Porro versus 17 verba a me non percepta esse facile concedo, sententiam de Paride esse satis apparet.

18. Particula „denique" singulis enumeratis una comprehensione omnia complectitur: cf. Schoemann ad Cic. de nat. deor. II, 132.

servit: Bs. coni. Notandus est indicativus modus pro coniunctivo positus.

Auro emitur facinus, pudor almus venditur auro,
Tum patria atque parens, leges pietasque fidesque:
Omne nefas auro tegitur, fas proditur auro.
Porro hoc Pactolus, porro fluat et niger Hermus?
Aurum, res gladii, furor amens, ardor avarus,
Te celent semper vada turbida, te vada nigra,
Te tellus mersum premat infera, te sibi nasci
Tartareus cupiat Phlegethon Stygiaeque paludes:
Inter liventes pereat tibi fulvor arenas,
Nec post ad superos redeat famis aurea puros!

---

19 enitur. — 20 patriaque parens. — 22 Porro huic. — 24 te nuda nigra. — 25 p̄mat. — 26 flegeton stigiaeq. — 28 fames.

---

19. cf. Propert. IV, 12, 50; Rutil. Namat. I, 357.

venditur: Lachmannus Mus. Rhen. 1845 p. 612 dixit hac forma neminem scriptorem ante III p. Chr. saeculum usum esse.

20. Prop. IV, 12, 48: Aurum omnes victa iam pietate colunt, Auro pulsa fides, auro venalia iura, Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor; Rut. Nam. I, 361; Sulp. Lup. 15.

23. cf. Sibyll. orac. II, 115: *Χρυσέ, κακῶν ἀρχηγέ, βιοφθόρε, πάντα χαλέπτων, Εἴθε σε μὴ θνητοῖσι γενέσθαι πῆμα ποθεινόν.*

24. „loca turbida“ vult Bs. et cft. Verg. Aen. VI, 534; sed cum in primo carmine enumerentur: „nigri manes, flumina turbida, metalla, limina Ditis (Prόserpina)“ per anaphoram pronominis „quod,“ quibus in extremo carmine respondent „vada turbida, vada nigra, tellus, Phlegethon (Stygiaeque paludes)“ per anaphoram pronominis „te“ coniuncta, ego „vada turbida“ servandum, „vada nigra“ mutandum esse duco: quae sententia confirmatur codicis lectione „nuda nigra“, pro qua exspectatur aliquid, quod respondeat „manibus“ supra commemoratis.

27. *liventes arenas:* Vergilius in descriptione Orci Aen. VI, 320: illae remis vada livida verrunt; Stat. Theb. IV, 521: liventes Acheron eiectat arenas.

fulvor: cf. Catull. 64, 101, ubi Ritschelio auctore legendum est: Quam tum saepe magis fulvore expalluit auri.

28. Quod Baehrens. „fames“ ultima syllaba correpta servare noluit, adsentior, non adsentior, quod „sitis“ scripsit: Corrigendum est „famis“. cf. Varro r. r. 2, 5, 15; Tert. ad. nat. 1, 9; scorp. 13; Prudent. psychom. 479; (Neue Formenl. I p. 180). Venant. miscell. II, 4, 12.

V. 28 carmen ad finem perductum esse videtur, nihil enim desideramus.

Venimus nunc ad Columbanum et declamatorem Salmasianum mirum quantum cum Tiberiano concinentes. Atque primum quidem omnibus, quae in his carminibus similia inveniuntur conlatis, quaeremus, utrum ex illis Columbanus, certe omnium recentissimus, secutus sit, deinde de declamatore agemus, denique quid inde colligi possit videbimus.

Similitudines igitur et rerum et verborum, quas repperi, in tabulam referre mihi liceat:

Vs.	Columbanus:	Vs.	Tiberianus:	Vs.	Declamator:
		1	Aurum, quod nigri	207	Aurum, quod nigris
71	ep. ad Seth.: Divitibus nigri reserantur limina Ditis.	3	Aurum, quo pretio reserantur limina Ditis,	201	Auro emitur Pluton, Phlegeton transcenditur auro.
76	ep. ad Fedol.: Et reserari Munere certo Nigra feruntur Limina Ditis.				
61	ad Fedol.: Femina saepe Perdit ob aurum Casta pudorem.	5	Aurum, quod penetrat thalamos rumpitque pudorem,	197	Haec (fulva metallorum rabies) castos vendit thalamos.
		6	Qua ductus saepe inlecebra micat impius ensis,	196	Haec proelia miscet.
64	Non Jovis auri Fluxit in imbre, Sed quod adulter Obtulit aurum, Aureus ille Fingitur imber.	7	In gremium Danaes non auro fluxit adulter, Mentitus pretio faciem fulvoque veneno?	200	Danae corrumpitur auro.
				196	Fulva metallorum rabies.
57	Sic Polydorum Hospes avarus Incitus auro Fraude necavit.	9	Non Polydorum hospes saevo necat incitus auro?		

Vs.	Columbanus:	Vs.	Tiberianus:	Vs.	Declamator:
46	Hinc populavit Troiugenarum Ditia regna Dorica pubes.	15	Sic etiam ut Troiam popularet Dorica pubes, Aurum causa fuit. Pretium, dignissima merces	204	Paris ultus.
40	Corruit auri Munere parvo Coena dearum Ac tribus illis Maxima lis est Orta deabus.			205	Hoc Sapiens Furia, Venus invida, Iuno cruenta.
		19	Auro emitur facinus, pudor almus venditur auro,	201	Auro emitur Pluton, . . . Hector venditur auro.
50	Iuraque legum Fasque fidesque Rumpitur auro.	20	Tum patria atque parens leges pietasque fidesque: Omne nefas auro tegitur, fas proditur auro.	202	Proditur Amphiaraus-auro.

Vs.	Tiberianus:	Vs.	Declamator:
22	Porro hoc Pactolus, porro fluat et niger Hermus?	207	Aurum, quod nigris Pactolus miscet harenis,
23	Aurum, res gladii, furor amens, ardor avarus, Te celent semper vada turbida, te vada nigra, Te tellus mersum premat infera, te sibi nasci Tartareus cupiat Phlegethon.	209	Quod ferrum intundit, liquidus quod conficit ignis, Quod furor exposcit demens.
		208	Quod condit tellus, tristis quod celat Avernus.
		239	Phlegethontis ad ignes Tartarei.
		199	Phlegethon.

Re ipsa, credo, apparet multa e Tiberiano ad Columbanum fluxisse, quorum nonnulla etiam ad verbum descripta sunt. Compositis autem inter se vv. 76 sqq. epistolae ad Fedolium et v. 71 epistolae ad Sethum colligi licet Columbanum si non omnes res, at certe maximam partem ipsis verbis Tiberiani ex-

plicaturum fuisse, nisi metrum epistolae ad Fedolium obstitisset (velut v. 4 vix neglexisset, si nomen Proserpinae Adoniis asynartetis accommodari potuisset).

Quae restant Columbanus partim quod consilio epistolae vv. 29—36 exposito non apta essent, partim quod sublimior locorum quorundam dictio epistolae leniore orationis tractu decurrenti minus convenirent, neglexisse mihi videtur.

Deinceps videamus, quae apud Columbanum et declamatorem vel sententiae vel verba concinant.

Vs.	Columbanus:	Vs.	Declamator:
26	Et velut ignis Flamma perurit Improba corda. Saepe nefanda Crimina multis Suggerit auri Dira cupido. E quibus ista Nunc tibi pauca Tempore prisco Gesta retexam.	193	Omne paratas In facinus[10] mentes hominum succendier auro.
		198	Volumus si visere priscos, Dicite, quod facinus commissum non sit ob aurum.
37	Exstitit ingens Causa malorum Aurea pellis.	203	Hoc Medea maga est, serpens vigil, exul Iason . . . . . . naufragus Helles (sic!).
		220	Causamque malorum.
		143	Hinc facilis causa-malorum.
52	Fasque fidesque Rumpitur auro.	200	Danae corrumpitur auro.
53	Impia quippe Pygmalionis Regis ob aurum Gesta leguntur.	211	Quod Punica virgo Amissum plangit, Tyria damnandus in aula Pygmalion caeso quod perdit fraude Sichaeo.
60	Fraude necavit (?)		
62	Perdit ob aurum.	199	commissum non sit ob aurum.
70	Amphiaraum Prodidit auro Perfida coniux. Hectoris heros Vendidit auro Corpus Achilles.	202	Proditur Amphiaraus atque Hector venditur auro.

[10]) Stat. Theb. II, 387 omne paratus In facinus.

Iam ex similitudine, quae inter versus Columbani 33—36 intercedit et versum 198 declamationis, concludere possis Columbanum nonnulla a declamatore mutuatum esse. At ratione metrorum habita haec invenies: Quamquam in declamatione satis multae Columbani metro aptissimae versuum partes, praecipue exitus insunt, vix tamen tale quidquam apud Columbanum invenitur, quod non declamationi cum Tiberiano commune sit: Accuratissima enim ratione inita omnium declamationis (285) versuum duas tantum versuum partes quodammodo cum duobus Columbani Adoniis convenientes reperimus. (Columban. 38 cf. Declam. 220 et 143; Col. 52 cf. Decl. 200.)

Sed ne has quidem particulas Columbanus ad easdem res narrandas adhibuit, ut prope semper fecit, ubi Tiberiani verbis usus est. Quid vero causae Columbano fuisse putamus, cur sententiis ex declamatione depromptis verbis declamationis tam parce modesteque uteretur, cum satis audacter Tiberiani et sententias et flosculos pro suis venderet?

Igitur Columbanus omnino declamatorem non secutus est.

Nunc inde quid efficiatur videamus: Columbanus, tametsi multa in epistola ad Fedolium cum Tiberiano et declamatore conveniunt, tamen Tiberianum tantum imitatus est, declamationem ignoravit. Multa autem habet Columbanus, quae in declamatione exstant tacente Tiberiano: uterque igitur haec a tertio sibi sumpsit. Atqui declamator complures locos, quos apud Columbanum non legimus, Tiberiani simillimos exhibet: Ex quo consequi videtur, declamatorem quoque ex Tiberiani carmine hausisse [11]).

„At, dixerit quispiam, qui fieri potest, ut multae tamen res

---

[11]) Accedit illa quoque causa, quod declamationis vv. 207 sqq. imitationem perversam vv. 22 sqq. Tiberiani quasi ipsi indicant.

Ceterum declamator, quamquam nulla fere re impediebatur, ne in sententiis ac verbis Tiberiani vestigia premeret — uterque enim metro heroico utitur, neque declamationi apta non erat natura carminis Tiberiani — tamen verba fere nulla deprompsit, (nisi quod pauca quaedam initia vel exitus versuum descripsit), sententiis autem libere tantum usus vel imitatus est Tiberianum vel mutavit. Etiam anaphorae, epiphorae, antithesis figuras saepe a Tiberiano usurpatas imitandas sibi proposuit. (cf. vv. 196, 197; 203—205; 208—211; 200, 201; 206.)

et sententia et apud Columbanum et apud declamatorem exstent tacente Tiberiano, cum uterque Tiberianum secutus sit?"

Tacet Tiberianus, sane, sed tacet nobis nonnisi frustula eius legentibus, non tacuit declamatori, non Columbano.

Neque haec res argumento caret: Singula enim si perscrutamur, in ipso limine occurrunt Columbani vv. 30—36: „E quibus ista Nunc tibi pauca Tempore prisco Gesta retexam" similes iis, quae declamator v. 198 tradit: „Volumus si visere priscos, Dicite, quod facinus commissum non sit ob aurum?" Ex summa hac similitudine, quae inter utriusque imitatoris verba intercedit, satis certo concludere licet ex Tiberiano, utriusque exemplo, ea fluxisse.

Similem in modum iudicandum est de ceteris rebus et a declamatore et a Columbano prolatis. Itaque res vv. 37—40, 53—56, 70—75 Columbani (cf. 203, 211—213, 202 declamationis) commemoratae Tiberiano restituendae sunt.

Aliter res se habet in sententiis, quae Columbani vv. 18—30 continentur: Quamquam enim et forma (cf. anaphoram pronominis „quod" in vv. 21 et 23) a consuetudine Tiberiani non abhorret, et declamator vv. 193—195 (cf. Columb. vv. 26—29) et v. 199 (cf. Columb. vv. 29—32) similia habet, tamen argumenta vel potius indicia non suppetunt, ut pro certo rem affirmare audeamus.

Neque satis constat, utrum declamationis vv. 197 extr., 198 in., 200 in., 204 in., 206, 209 extr., 211 in., quibus nihil apud Columbanum respondet, ex Tiberiano sibi sumpserit, an ipse commentus sit declamator.

Versus autem 190—193 et 214 aperta ratione declamatori ipsi adscribendi sunt, quippe quibus sententias aliunde raptas in „probationem" suam inseruerit.

Sed in collocandis rebus ac sententiis cum uterque imitator suum ordinem secutus sit [12]), nihil inde ad Tiberiani carmen restituendum elici potest.

De condicione autem carminis ex rebus et sententiis trac-

---

[12]) Declamator in disponendis exemplis et sententiis ordine certo non utitur, neque commemorata repetere dubitat, Columbanus perspicuum ordinem secutus nihil plus semel affert.

tatis certam coniecturam facere non possumus. Neque indicia suppetunt ad eam rem diiudicandam, num Tiberianus sua aliunde sumpserit. Haec igitur felicioribus relinquo.

Iam carmen II, ad quod nunc transimus, res tractatas si respicimus, sine dubio iis temporibus scriptum est, quibus variae variorum philosophorum sententiae mixtae sunt (quem nos „Syncretismum" vocamus). Nam commentario docebimus, hoc carmen ad Platonis in Timaeo placita admixtis Orphicorum, Pythagoreorum, Stoicorum sententiis compositum esse. Praeterea breviter, ubi opus est, variae codicum lectiones attingendae et quae insolite dicta sunt, adnotanda esse videntur.

Antequam autem ad carmen ipsum veniamus, de codicibus mss. disserendum esse videtur. Codices vero hi sunt:

P = cod. Paris. 2772 membr. in qu. sc. X—XI. Quicheratus contulit, qui carmen ad huius codicis fidem typis exscriptum editioni suae praetexuit; iterum contulit A. Riesius. — Verborum divisionem in *P* corruptissimam non affero.

R = cod. Regin. Vatican. 215 sc. VIII exeuntis Baehrensius contulit; huius codicis suam collationem A. Riesius liberalissime mecum communicavit; ex cod. *R* descriptus est cod. Paris. 4883 A. membr. in fol. sc. XI (apud Riesium siglo *Q* signatus).

S = cod. Paris. 17160 sc. XII Baehrensius contulit.

V = cod. Vindobon. 143 sc. XIII ab Hauptio collatus.

Ratio autem, quae inter quattuor codices intercedit, haec est: Duas habemus quasi familias, quarum altera *P* et *V*, altera *S* et *R* codices continet. *P* et *V* ex eodem fonte fluxisse apparet ex his lectionibus: Inscriptum — v. 1: suscipit — v. 15: saram (nam *V* aperte correctus est), contra *S* et *R* ad unum exemplar ab illo diversum revocandos esse apparet ex his: v. 14: tempora — v. 21: dei.


Iam si archetypum codicum *P* et *V* siglo *X*, archetypum codicum *S* et *R* siglo *Ψ* signamus, neutra memoria alteri tantum praestat, ut inprimis sequenda sit. Nam cum memoria *X* corpora (14), deum (21) suppeditet, *Ψ* habet: superstes (8), iuventae (iubente *S* v. 25). Neutra autem memoria uti licet in v. 13, unde

efficitur iam utriusque familiae archetypum, quem siglo *Ω* signamus, corruptelis non liberum fuisse.

Nunc si revertimur ad eos codices, quos etiamnunc habemus, accuratius de differentiis, quae inter eiusdem familiae libros intercedunt disserendum est: *P* et *V* ita inter se differunt, ut *P* antiqui tenacior sit et in iis locis, quos minus intellexit, litterarum ductus exemplaris accuratissime sequatur quamvis sententia carentes (cf. ad quodam: inscr. — v. 8: supestas — v. 13: abstrum — v. 15: saram — v. 18: fulmencis), *V* autem verba non intellecta in cognita et trita mutet, (cf. ad quendam: inscr. — v. 8: superextas — v. 13: astra), cum alia errori deberi (cf. 3: poterit quisquam — 4: effectus — 6: iuga — 15: alter), alia ad libidinem immutata (v 6: intremat et sistant) esse videantur.

Similiter res se habet in familia *Ψ*: *S* veri tenax vel in absurdis (v. 13: abstui — 25: iubente), — nam 18: flumineis et 22: nature meri errores sunt. — In *R* autem non solum ex coniectura multa mutata (Inscriptum praefixum est — 6: intremuit sistunt — 13: austrum — 19: coruscant — 32: quod per cita), sed etiam nonnulla ad exemplar generis *X*, quod proxime accessit ad codicem *V*, correcta sunt (v. 4: effectu — 17: simul — 25: iuventus). Ceterum non *R* ipse correctus est, sed is unde fluxit, nam v. 4: effectu — 11: facta — 15: te si — 18: fulmineus — 25 et 28: angusto — 30: lacuna — neglegentia correctoris dissimillima orta sunt.

Itaque si eum codicem, unde genus *R* correctum est *Φ*, eum autem, qui correctus est *Y* appellamus, hoc fere stemma habemus:



Omnium igitur optimi sunt *P* et *S*, qui summa fide descripti sunt, quamvis erroribus non liberi; sequitur *V* nonnullis locis ex coniectura correctus; deterrimus vero est *R*, qui non solum coniecturis non vacat, sed ne integram quidem unius familiae memoriam exhibet.

II.

[Versus Platonis a quodam Tiberiano de Graeco in Latinum translati].

Omnipotens, annosa poli quem suspicit aetas,
Quem sub millenis semper virtutibus unum

Inscriptum: Versus Platonis ad quodam Tiberiano (quendam Tyberianum *V.*) de greco in latinum translati (translatę *V.*) *PV.* Versus Platonis de d̃o *R.* Nihil inscriptum in *S.*

1 suscipit *PV.* — 2 mellenis *P.* semp. om. *R.* —

---

1. *Omnipotens:* Ita in Orphicis summus deus passim appellatur: Clem. Strom. V, 14 p. 724: εἶτα ἐπιφέρει (Ὀρφεὺς) ῥητῶς παντοκράτορα ὀνομάζων τὸν θεόν; Valer. Soran. ap. Augustin. de civ. dei VII, 9: Iupiter omnipotens regum. — Haec autem allocutio „Omnipotens", nec nomine aliquo nec vocabulo dei addito, ita ut vox „Omnipotens" pro substantivo sit, proxime accedit ad morem Iudaeorum et Christianorum: cf. Sibyll. orac. I, 66: αὐτὸς ὁ παντοκράτωρ; Auson. Ephem. (or. 153) 1: Omnipotens.
2. Sic in ipso limine carminis ea sententia occurrit, quae est caput et principium Platonis de deo doctrinae. Recte affert Quicheratus locum Apulei de dogm. Plat. I, 5: „Is unus, ait (Plato) ἀπερίμετρος rerumque genitor".

Iam hoc versu idem fere significatur, ac v. 7: (Tu solus, tu multus item) et vv. 20—21: (Tu genus omne deum — deus innumerabilis unus), nam quae illic virtutes unius dei, hic dii appellantur. cf. Lutat. ad. Stat. Theb. IV, 526, qui dicit „deum Demogorgona summum, cuius nomen scire non licet. Infiniti autem philosophorum, Magorum Persae (sic!) etiam confirmant praeter hos deos cognitos, qui coluntur in templis, alium principem et maximum deorum ceterorum ordinatorem — de cuius genere sunt soli sol et luna; cetera vero astra nominantur, quae eius clarescunt spiritu auctore Pythagora et Platone et Tagete. — Huius nomen dei sciri non potest. — Sed cum Magi vellent virtutis eius comprehendere singulas appellationes, has per naturarum potestates abusivo modo designarunt et quasi plurimorum numinum nobilitate deum appellare conati sunt, quasi ab affectu ductis rei cuiusque vocabulis. Sicut Or-

Nec numero quisquam poterit pensare nec aevo,
Nunc esto affatus, si quo te nomine dignum est,
Quo sacer ignoto gaudes, quo maxima tellus
Intremit et sistunt rapidos vaga sidera cursus.

---

3 poterit quisquam *V.* — 4 effectu *R.* effectus *V.* — 5 quod maxima *PRSV.* — 6 Intremuit sistunt *R.* Intremat et sistant *V.* iuga *V.*

---

pheus fecit et Moyses et Esaias et his similes.“ Quibus Lobeckius (Aglaoph. p. 597 sq.) haec addit: „Verba postremis proxima mendose scripta sunt, sed sententia claret: „unius dei effectus varios pro variis censeri numinibus“ (Macrobii verba sunt. Sat. I, 17, 4) illaque nominum divinorum multitudine cum ab aliis, tum ab Orpheo (cf. Lob. Aglaoph. p. 440; p. 486) multiplices summi numinis virtutes declaratas esse.“

semper: ad „unum“ revocandum est; nam adiectivi instar cum „virtutibus“ coniunctum (cf. Ter. Andr. I, 2, 4: heri semper lenitas; Anthol. Lat. 251, 2: semper pudor) minus cum sententia convenit.

millenis: cf. Gai. instit. 2, 225; Prisc. de fig. num. c. 6 § 24 (ed. Keil) Anthol. Lat. c. 483, 5: milleno milite. Numerale distributivum pro cardinali fere adhibetur, ubi multae res ad unam referendae sunt. cf. Ov. Met. X, 22; Prop. IV, 22, 16; Ov. fast. 5, 105; alios. Atque hoc quidem loco ipsa vox „unus“ sequitur.

3. cf. Lutat. l. c. Huius dei nomen sciri non potest — Cuius nec aestimari potest modus, nec finibus (fine vis: Barth.) claudi.

4. Sententia haec est: Nunc esto affatus, si (omnino ali-) quo te nomine (appellari) dignum est, (eo nomine,) quo sacer ignoto gaudes.

affatus: passive positum cf. Apul. Met. XI, 19: Affatis itaque ex officio singulis. — Cum imper. perf. pass. cf. Ov. Trist. IV, 8, 51: At vos admoniti nostris quoque casibus este; Sueton. Caes. 33: iacta alea esto.

5. Haec de dei ignoto nomine sententia, quamquam certe Platonici aliquid habet, tamen hoc modo formata non ad Platonem ipsum, sed, ut Quicheratus recte fecit, ad Apuleium referenda est, qui aperte Platonis in Timaeo (p. 28 C.) verba suis auxit hoc loco: „Quem quidem caelestem pronuntiat (Plato) indictum, innominabilem et, ut ait ipse, ἄρρητον ἀκατονόμαστον (Quich. scrips.), cuius naturam invenire difficile est; si inventa sit, in multos eam enuntiari non posse. Platonis haec verba sunt: Θεὸν εὑρεῖν τε ἔργον, εὑρόντα δὲ εἰς πολλοὺς ἐκφέρειν ἀδύνατον. de dogm. Plat. I, 3. — (Leviter tangendum est, Apuleium non ipsis Platonis verbis usum esse.) — De diis ignotis cf. Lobeck. Aglaoph. I p. 599 sq. et vide locos ad v. 2 laudatos.

quo maxima tellus intremit: (quom coni. Baehrens) cf. Hymn. Orph. XIX, 13 ὃν καὶ γαῖα πέφρικεν; Stat. Theb. XI, 66 quo (nomine Megaerae) protinus omnis Horruit audito tellus pontusque polusque.

6. Cum exitu nostri versus cf. Auson. Idyll. 18, 16: Rursus in antiquum veniant vaga sidera cursum.

Tu solus, tu multus item, tu primus et idem
Postremus mediusque simul mundique superstes:
Nam sine fine tui labentia tempora finis
Altus ab aeterno spectans fera turbine certo

---

8 supestas *P.* mundu superextas *V.* — 10 alter *V.* —

---

7. *Tu solus, tu multus item:* vide ad v. 2. Praeterea cf. Simplic. ad Aristot. de caelo p. 21 B (Lob. p. 467): *διὰ τοῦτο τὰς θεογονίας ἡμῖν οἱ θεολόγοι παρέδωκαν, τὸ μὲν πλῆθος ἐν τῷ ἑνὶ μένον φάσκοντες,* quae spectant ad Theogoniae Orphei locum illustrissimum de Phanetis cataposi. cf. Iustin. coh. p. 15 C (Lob. p. 440): *Εἷς Ζεὺς κτὲ.*

tu primus et idem Postremus mediusque simul: Haec clara de deo sententia ex Orphicis fluxit. cf. Aristobul. ap. Euseb. praep. ev. XIII, 12 p. 664 (Lob. p. 442): *ἀρχὴν αὐτὸς ἔχων καὶ μέσσον ἠδὲ τελευτήν* (cf. not. m. Lobeckii l. c.) et Procl. in Tim. II p. 96 (Lob. p. 521): *Ζεὺς πρῶτος γένετο, Ζεὺς ὕστατος ἀρχικέραυνος, Ζεὺς κεφαλή, Ζεὺς μέσσα, Διός δ' ἐκ πάντα τέτυκται* (cf. not. v. Lobeckii l. c.); de quo versu Lobeckius haec disputat l. c. p. 529 § 19: „Etenim illorum versuum unus prae ceteris magnam celebritatem adeptus multorumque imitatione nobilitatus est, quo in numero primus occurrit Plato (Legg. IV, 715 D) cet;

mundique superstes: Bs. coni.: mundoque superstans. Coniectura non opus est, cum cod. *S* rectam lectionem servaverit: (quae etiam firmatur corruptela codicis *P*), nam secundum Platonis in Timaeo sententiam mundus, quamquam deus est omni morbo seniove carens (Tim. p. 33 A; cf. vv. 24—25 nostri carminis), tamen, quoniam ortus est, potest dissolvi (Tim. p. 38 B cp. XI in.; cf. p. 41 B); sed fortasse haec minus ad Platonem, quam ad Stoicos pertinent: cf. Plut. commun. not. 36 p. 1318 (Didot): *λέγει γοῦν Χρύσιππος — ὅταν οὖν ἐκπύρωσις γένηται, μόνον ἄφθαρτον ὄντα τὸν Δία τῶν θεῶν, ἀναχωρῆσαι ἐπὶ τὴν πρόνοιαν κτὲ* (cf. Didym. ap. Euseb. praep. ev. XV, 15: *διὸ δὴ καὶ Δία — προσονομάζεσθαι πρόνοιαν ὅτι πρὸς τὸ χρήσιμον οἰκονομεῖ πάντα.*).

9. Haec spectant ad Tim. p. 37 sq.; 38 C. — Cum oxymoro, quod his verbis continetur, cf. Coripp. de laud. Iust. min. IV, 96 finit sine fine dies.

10. Quae sequuntur tribus Macrobii locis illustrantur: is enim comm. in somn. Scip. II, XII, 13 haec habet: Constat nihil intra vivum mundum perire, sed eorum, quae interire videntur, solam mutari speciem et illud in originem suam atque in ipsa elementa remeare, quod tale quale fuit esse desierit. Denique et Plotinus alio in loco ..... respondit: ideo elementa licet fluant numquam tamen solvi, quia non foras effluunt; a ceteris enim corporibus quod effluit recedit, elementorum fluxus numquam ab ipsis recedit elementis (cf. Tim. p. 33 C et Chalcid. comm. in Tim. c. 24, quem locum Quicheratus ad v. 14 laudat.).

Rerum fata rapi vitasque involvier aevo
Atque iterum reduces supera in convexa referri,

11 facta *R.* — 12 referr$\overset{i}{e}$ *R.*

idem l. c. I, XI, 5 (cf. XXI, 3): Alii enim mundum in duo diviserunt (cf. Tim. p. 33 C) ..... Et immutabilem quidem mundi partem a sphaera, quae *ἀπλανής* dicitur, usque ad globi lunaris exordium, mutabilem vero a luna ad terras usque dixerunt: et vivere animas, dum in immutabili parte consistunt, mori autem, cum ad partem ceciderint permutationis capacem, atque ideo inter lunam terrasque locum mortis et inferorum vocari: ipsamque lunam vitae esse mortisque confinium, et animas inde in terram fluentes mori, inde ad supera meantes in vitam reverti nec immerito aestimatum est.

idem l. c. II, X, 9: Sed mundum quidem fuisse semper philosophia auctor est, — res vero humanae ex parte maxima saepe occidunt manente mundo et rursus oriuntur vel eluvione vicissim vel exustione redeunte. — Cum ergo calor nutriatur humore, haec vicissitudo contingit, ut modo calor modo humor exuberet. Evenit enim, ut ignis usque ad maximum enutritus augmentum haustum vincat humorem ac sic aëris mutata temperies licentiam praestet incendio et terra penitus flagrantia immissi ignis uratur, sed mox impetu caloris absumpto paulatim vires revertuntur humori, cum magna pars ignis incendiis erogata minus iam de renascente humore consumat. Ac rursus longo temporum tractu ita crescens humor altius vincit, ut terris infundatur eluvio, rursusque calor post hoc vires resumit, et ita fit, ut manente mundo inter exuberantis caloris humorisque vices terrarum cultus cum hominum genere saepe intercidat et reducta temperie rursus novetur. Numquam tamen seu eluvio seu exustio omnes terras aut omne hominum genus vel omnino operit vel penitus exurit. — Certae igitur terrarum partes internecioni superstites seminarium instaurando generi humano fiunt (cf. Tim. p. 22 C sq.).

Quos locos si cum vv. 10—14 comparamus, apparet, credo, quae apud Macrobium de animis in terram fluentibus et inde ad supera remeantibus disputantur, hic ad elementorum fluxum paulo obscurius transferri. Nam voce „aevo" pars illa permutationis capax, quam nos dicimus „Zeitlichkeit", voce autem „supera convexa" significari videtur immutabilis illa mundi pars, quam nos dicimus „Ewigkeit".

Porro vv. 13 et 14 aperte dicitur mundus elementorum fluxu semper in ipsa elementa recurrente redintegratus.

ab aeterno ad Graecam vocem „*ἐξ ἀϊδίου*" (cf. Didym. ap. Euseb. praep. ev. XV, 15) effictum esse videtur. — Bs. coni.: Altus et aeterno.

11. „*que*" particula hic et versu 14 explicandi vim habet (nos: „und zwar").
vitas: sc. rerum.

Scilicet ut mundo redeat, quod partibus austum
Perdiderit, refluumque iterum per corpora fiat.
Tu — siquidem fas est in temet tendere sensum
Et speciem temptare sacram, qua sidera cingis
Inmensus longamque simul complecteris aethram
Fulmineis forsan rapida sub imagine membris —
Flammifluum quoddam iubar es, quo cuncta coruscans

---

13 qđ partib; abstrum *P.* austrum *R.* abstui *S.* astra *V.* — 14 tempora *RS.* fiant *S.* — 15 Te si *R.* — 16 saram *P.* sa^c ram *V.* — 17 simul] dš *S.* a&ram *P.* — 18 Fulmencis *P.* Fulmineus *R.* Flumineis *S.* forsam *V.* rapidas *S.* imaginẽ *P.* — 19 quod *S.* coruscas (chor. *S.*) *PSV.* coruscant *R.*

---

13. *austum* ego. (cf. austor: Orelli inscr. 5089) haustum: Quicherat. „C'est-à-dire „haustum e partibus". Cette conjecture s'accorde en même temps et avec la doctrine de Platon et avec la donnée du Ms., car on peut supposer „haustum" ou „austum" suivant une très-ancienne orthographe, devenu „abstum" par la confusion du „b" et du „u", puis „abstrum" par l'ignorance ou l'inadvertance du copiste." Quicherat. — partubus aethra: G. Hermannus; — raptibus astrum: Buechelerus; — partibus (h. e. partubus) haustus: Bs.

partibus austum h. e. e partibus austum cf. Cic. ad fam. VI, 6, 9. Eodem fonte se hausturum intellegit cet.

14. *per corpora*: h. e. per elementa.

16. Recte confert Quicheratus ad nostrum locum Apul. de mundo c. I extr.: „Sed caelum ipsum stellaeque caeligenae omnisque siderea compago aether vocatur".

17. *Inmensus* h. e. *ἀπερίμετρος*. Sic deum vocat Plato in frgm. ap. Apul. de latitudine p. 572, 2 editionis Iul. Floridi in us. Delph. Paris. 1688; cf. Apul. de dogm. Plat. I, 5 (vide ad v. 2).

sidera cingis — complecteris aethram: Similiter Pythagorei. cf. Athenag. leg. pro Christ. c. 6: *καὶ Φιλόλαος δὲ ὥσπερ ἐν φρουρᾷ πάντα ὑπὸ τοῦ θεοῦ περιειλῆφθαι λέγων.*

18. Bs. coni.: Fulgentis — Phoebi (pro „membris"). — In hoc versu quid vox „forsan" sibi velit non video, cum in omnibus, qui sequuntur versibus, quibus virtutes summi dei enumerantur, nihil incerti inveniatur. — Fortasse in archetypo lacuna erat, in margine autem adscriptum „forsan: solis" vel tale aliquid, unde ignorantia librarii „forsan" pro „solis" in exemplar fluxit. — Possis etiam „vorsam" conicere.

19. In Orphicis demiurgus corpus flammeum habet cf. Procl. in Tim. III p. 153, 3: *Ταῦτα οὖν ὁ θεολόγος εἰδὼς περὶ τοῦ δημιουργοῦ φησι· Σῶμα δέ οἱ πυριφεγγές κτἑ* cf. frgm. VIII, v. 24 (Lob. p. 525). — Apte confert Quicheratus locum Apul. de mundo c. V: „Aether

Ipse nites nostrumque premis solemque diemque.
Tu genus omne deum, tu rerum causa vigorque,
Tu natura omnis, deus innumerabilis unus,
Tu sexu plenus toto, tibi nascitur olim

---

20 uides *PRSV.* — 21 dĩ *R.* dei S. — 22 nature *S.* oĩs *P.*

---

vicissim ignesque illius immortalis Dei vivacitate flammantur. Huius divini ignis origine incensi per totius mundi convexa illustribus facibus ignescunt“. Praeterea cf. Lutat. ad Stat. Theb. IV, 526 (vide ad v. 2).

Ipse nites: emend. Ries.; Bs. coni.: Ipseque das. — Verbum videndi huic loco videtur ineptum esse.

premis: (G. Hermann. coni.: aperis) cf. Stat. Silv. II, 6, 37: quantumque alios premit Hesperus ignes; Achill. I, 242.

21. *Tu genus omne deum:* h. e. tu complecteris omnes deos (sive virtutes vide ad. v. 2), quae sententia et Platonis est, qui in Timaeo (p. 39 E sq.; 41 A sq.) deum summum „οὐράνιον θεῶν γένος“ procreantem inducit, et ad Orphaicos pertinet, qui eam imagine cataposis expresserunt: Nam in eorum fabulis „Iupiter deos a Phanete editos cum eo ipso in se resorbet, ut ex omnibus unus fiat deus mundus“ (cf. v. 24) Lob. p. 486; cf. Schol. ad. Gregor. Or. IV p. 104 C (Lob. p. 492); XXXVII p. 602 A (Lobeck. p. 468); Clem. Stromat. V, 14, 722 (Lob. p. 455).

Totus hic locus (vv. 21—23) convenit quodammodo cum versibus quibusdam Valerii Sorani a Varrone in eo libro, quem de cultu deorum edidit, expositis (ap. Augustin. de civ. dei VII, 9) qui versus hi sunt: Iupiter omnipotens regum, rerumque deumque Progenitor genitrixque, deum deus unus et omnis (Lob. p. 533). Vix, credo, opus est addere hos versus ad Orphaicorum placita compositos esse.

tu rerum causa vigorque: Quicheratus confert locum Herm. Trismeg. c. 41: „O vitae vera vita, o naturarum omnium fecunda praegnatio.“ Praeterea cf. eiusdem dialogi c. 34: quae omnia sine deo vegetari non possunt. — Similia Christiani: Didym. de trin. c. 21, 402: ἀρχὴ πηγή τε ζωῆς κτἑ (Lob. p. 440 adn.); Auson. Ephem. (or. 153) v. 8: Ipse opifex rerum, rebus causa ipse creandis; ibid. v. 16: cuncta ipse movens vegetator inertum.

22. *Tu natura omnis:* videtur interpretandum esse vernacula lingua: „die gesammte Erzeugung“; cf. Platon. Phaedr. p. 245 E: ἢ πάντα τε οὐρανὸν πᾶσάν τε γένεσιν συμπεσοῦσαν στῆναι κτἑ, quem locum Cicero Latine reddit: Vel concidat omne caelum omnisque natura consistat. Tuscul. I, 23, 54 (cf. de rep. VI, 25).

deus innumerabilis unus: vide ad. vv. 2, 3, 7;

23. *Tu sexu plenus toto:* Nobilissima illa de deo masculofemina sententia a Valerio Sorano his verbis pronuntiata l. c. (vide ad v. 21): „Progenitor genitrixque cet.“ Quibus versibus Augustinus de Varronis libro haec addit: „Exponuntur autem in eodem libro ita, ut eum marem existi-

Hic deus hic mundus, domus haec hominumque deumque
Lucens, augusto stellatus flore iuventae.

---

24 domus hic *PRSV.* ominumq; *R.* — 25 angusto *PR.* stellatur *P.* iuuentus *PRV.* iubente *S.*

---

maret, qui semen emitteret, feminam, quae exciperet, Iovemque esse mundum, et eum omnia semina ex se emittere et in se recipere." Saepissime vero deorum masculofeminarum mentio fit in Orphicorum fragmentis: Clem. Recogn. X, 7, 316 (Lob. p. 533); Euseb. pr. ev. III, 9 p. 100; Stob. Eclog. phys. I, 3, p. 42 v. 3: *Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη* (Lob. p. 523); Lactant. l. IV, 8, 4; Procl. in Tim. III, 31 (Lob. p. 490): *Θῆλυς καὶ γενέτωρ κρατερὸς θεὸς Ἠρικαπαῖος*; Clem. Hom. IV, 4, p. 672: *ζωόν τι ἀρρενόθηλυ — ὃν Φάνητα Ὀρφεὺς καλεῖ.*

Cum dictione nostri loci confert Quicheratus apte Herm. Trismeg. c. 20: „utriusque sexus fecunditate plenissimus."

totus pro „omnis" positum more inferioris aetatis. cf. Apul. Met. VI, 24: toti dei; Herm. Trism. c. 24; Perv. Ven. 22, 51, 60.

tibi nascitur: per constructionem Graecam dativus pro ablativo positus.

olim: „Olim signifie là, je crois, une époque indéterminée dans le temps infini, de manière à exprimer le dogme platonicien, qui conciliait la création avec l'éternité du monde: *πῇ μὲν ἀγενὲς, πῇ δὲ γενητόν* dit Proclus." Quicherat. cf. Tim. p. 34 B; 37 E; 38 B; 39 E.

24. *Hic deus hic mundus:* Nos: „Dieser (sichtbare) Gott, (nämlich) diese Welt." cf. Cic. Tim. § 18 extr.: Sic deus ille aeternus hunc perfecte beatum deum procreavit. cf. Plat. Tim. p. 30 D; 31 B; 32 B; 34 B; 68 E; 92 B: *ὅδε ὁ κόσμος, — εἰκὼν τοῦ νοητοῦ θεὸς αἰσθητός.* — Bs. coni.: Hic cunctus mundus.

domus haec hominumque deumque: haec: corr. Ries.; Bs. coni.: en. — Mundum esse communem deorum hominumque domum Stoici iterum atque iterum repetunt, unde apparet, quantopere hac sententia delectentur: cf. Cic. de nat. deorum II, 62, 154; 31, 78; de rep. I, 19; de legg. I, 7, 23; de finn. III, 19, 64; frgm. Hercul. col. IV, 22; Arium ap. Euseb. praep. ev. XV, 15; Varron. ap. Augustin. de civ. dei VII, 6; alios. Etiam alibi passim invenitur, ut in Orphicis ap. Procl. in Parm. IV, 227 (Lob. p. 526); Simplic. in IV Ausc. p. 150 A (Lob. p. 497).

25. *mundus — Lucens:* h. e. *κόσμος* cf. Cic. Tim. § 31 extr.: ut hunc hac varietate distinctum bene Graeci *κόσμον*, nos lucentem mundum nominaremus (cf. Plat. Tim. p. 40 A); Plin. hist. nat. II, 4; Apul. de mundo c. 22; c. 29; Herm. Trism. c. 10. — *Πυθαγόρας πρῶτος ὠνόμασε τὴν τῶν ὅλων περιοχὴν κόσμον ἐκ τῆς ἐν αὐτῇ τάξεως.* Stob. Ecl. phys. I p. 450; cf. Plut. plac. phil. II, 1 p. 1080 (Didot).

augusto stellatus flore iuventae: stellantis — iuventae: vol. Quiche-

Quem, precor aspires, qua sit ratione creatus
Quo genitus factusve modo da nosse volenti.
Da pater, augustas ut possim noscere causas,
Mundanas olim moles quo foedere rerum
Sustuleris animamque levi quo maximus olim

---

26 p̄cor asspiras *P.* qua si *R.* — 27 mo da *R.* — 28 angustas *R.* — 30 maximi *P.* versum om. *R.*

---

ratus; iuvencus: G. Hermannus, qui v. 24 uncis inclusit; stellarum: coni. Riesius. — Haec item ex Timaeo fluxerunt: cf. Tim. p. 33 A: *τόνδε (τὸν κόσμον) ἓν ὅλον ὅλων ἐξ ἁπάντων τέλεον καὶ ἀγήρων καὶ ἄνοσον αὐτὸν ἐτεκτήνατο;* quem locum secutus est Apuleius in iis verbis, quae Quicheratus ad hunc locum laudat: de dogm. Plat. I, 8: „Ad haec attributa est ei (mundo) perpetua iuventus et inviolata valetudo (cf. Apul. de mundo c. 22: hic mundus — splendore perlucidus — pubertate iuvenali). — Eurip. ap. Clem. Alex. Strom. IV, 25 p. 157: *κόσμον ἀγήρω.*

26. Bs. vol: adspirans. —

creatus — genitus — factus: cf. Plat. Tim. p. 41 D: *ἀπεργάζεσθε καὶ γεννᾶτε.*

28. *augustas causas:* Nota est illa Platonis in Timaeo de duplici causarum genere sententia: Tim. p. 46 C. *ταῦτ᾽ οὖν πάντα ἐστὶ τῶν ξυναιτίων, οἷς θεὸς ὑπηρετοῦσι χρῆται τὴν τοῦ ἀρίστου κατὰ τὸ δυνατὸν ἰδέαν ἀποτελῶν. δοξάζεται δὲ ὑπὸ τῶν πλείστων οὐ ξυναίτια ἀλλ᾽ αἴτια εἶναι τῶν πάντων, ψύχοντα καὶ θερμαίνοντα πηγνύντα καὶ διαχέοντα καὶ ὅσα ταῦτα ἀπεργαζόμενα κτἓ,* quae ex Platone ad Stoicos fluxit (cf. Cic. de fato 18, 41). Similia his in Orphicis inveniuntur cf. Procl. in Tim. II, p. 64: *καὶ πῶς ἄλλως ἔμελλε θεῶν πάντα πληρώσειν καὶ τῷ αὐτοζῴῳ ἀνομοιώσειν τὸ αἰσθητὸν ἢ πρὸς τὰς ἀφανεῖς αἰτίας τῶν ὅλων ἀνατεινόμενος, ἀφ᾽ ὧν αὐτὸς πεπληρωμένος· Μέλλεν ἀπὸ κραδίης προφέρειν πάλι θέσκελα ῥέζων.*

29. *Mundanas:* vox „mundanus“ hac significatione non ante Apuleium invenitur: de dogm. Plat. I, 10; Herm. Trism. 7; 8; 11.

30. *olim:* vide ad v. 23.

quo — numero: Significatur numerus septenarius a Platone ad animam mundi contexendam adhibitus. cf. Macrob. in somn. Scip. I, vi, 45: Primo omnium hoc numero (septenario) anima mundana generata est sicut Timaeus Platonis edocuit. Monade enim in vertice locata terni numeri ab eadem ex utraque parte fluxerunt, ab hac pares, ab illa impares, id est post monadem a parte altera duo, inde quattuor, deinde octo, ab altera vero parte tria, deinde novem et inde viginti septem et ex his numeris facta contextio generationem animae imperio creatoris effecit (Plat. Tim. p. 34 B — 37 C; cf. Macrob. in somn. Scip. II, ii, 1 sq.).

Texueris numero, quo congrege dissimilique,
Quicquid id est, vegetum per concita corpora vivit.

31 qua *R.* — 32 quod per cita corpora u'uit *R.*

animamque: Macrob. in somn. Scip. I, XIV, 3: notandum est, quod hoc loco animum et ut proprie et ut abusive dicitur posuit: Animus enim proprie mens est, quam diviniorem anima nemo dubitavit, sed nonnumquam sic et animam usurpantes vocamus.

levi — numero: In voce „levi", quae utrum mendosa sit necne non satis liquet, fortasse latet aliquid ex iis laudibus, quibus Pythagorei numerum septenarium extulere. cf. Chalcid. comm. in Tim. c. 35—37 et quae Alb. Fabricius et Ioann. Meursius ad l. c. adnotaverunt. — Possis etiam „animamque dei" (h. e. mundi) conicere.

31. *Texueris:* Verbum texendi, quamquam in Timaeo aliquid simile exstat (*διαπλακεῖν* p. 36 E), tamen in ipsa fabricatione mundanae animae a Platone non adhibetur, quod saepissime fit a Macrobio. cf. comm. in somn. Scip. I, VI, 45; II, II, 1; II, II, 14; 17; 19; 20; 23; II, III, 11; 12; 15; cet.

Ceterum hunc unum versum Quicheratus minus recte interpretatus est: locus enim Apulei (de dogm. Plat. I c. 7; cf. Plat. Tim. p. 30 sq.; 52 D; 53 B sq.) ab eo laudatus non de anima mundi, sed de elementis est.

quo congrege dissimilique: anima mundana ex diversis partibus conflata significatur (Tim. p. 35 A sq.; p. 37 A sq.; cf. Macrob. in somn. Scip. l. c.).

congrex: nemo ante Apuleium (Met. VII, 16) hac voce utitur; cf. Perv. Ven. 43; Tertull. de poen. 11; Prudent. contra Symmach. II, 634.

32. Macrob. in somn. Scip. II, 3, 11: Ipsa — mundi anima viventibus omnibus vitam ministrat. — Codicis *R.* lectionem secuti sunt Riesius, qui finem deesse putavit, et Baehrensius, qui coniecit: „Quidque id sit vegetum": at hac lectione accepta non anima mundi vitam ministrat, sed aliud nescio quid „per cita corpora vivit."

Quibus peractis atque constitutis nomen Platonis carmini inscriptum delendum esse apparet [13]). Quis enim, ut alia praetermittam, mediocres hos versus Platonis nomini addicat? Quamquam igitur Platonis certe non sunt, attamen ad Platonis in

[13]) Quicherat. l. l. p. 269: „Rayons le nom de Platon de la place, où l'a mis sans doute un copiste ignorant. Rien ne lui appartient dans ce que laisse entrevoir la médiocre traduction de Tiberianus, rien, sinon

Timaeo placita admixtis Orphaicorum, Pythagoreorum, Stoicorum sententiis compositi sunt. Accuratiore autem quaestione instituta auctorem carminis non ex Timaeo ipso hausisse verisimile est: sententiae enim ita formatae sunt, ut apud Apuleium, Chalcidium, Macrobium, alios Platonicos — quorum omnium nomina enumerare longum est — exstant. Iam cum nonnulla verba in hoc carmine inveniantur non ante Apuleium usurpata, per totum autem illud tempus inde a Posidonio usque ad Syrianum et Proclum ratio illa varias variorum sententias miscendi viguerit, hoc carmen post Apuleium scriptum esse sequi videtur.

Quae sequuntur in titulo verba: „de Graeco in Latinum translati", cum indicia non suppetant, in medio relinquo.

Praefatio autem hoc carmen esse videtur cosmogoniae, prooemii illius simillima, de quo Ioannes Malalas Chronogr. p. 88 (ed. Oxon. 1691; cf. Georg. Cedren. ed. Niebuhr I p. 101, 11 sq.) haec habet: *Ὀρφεὺς ἐξέθετο θεογονίαν καὶ κόσμου κτίσιν καὶ ἀνθρώπου πλαστουργίαν, εἰρηκὼς ἐν τῇ ἀρχῇ τοῦ συντάγματος αὐτοῦ, ὅτι ἐκ τῆς ἰδίας αὐτοῦ ἐνθυμήσεως οὐκ ἐξέθετό τί ποτε περὶ θεοῦ ἢ τῆς κοσμικῆς κτίσεως, ἀλλ' εἶπεν, ὅτι ᾐτησάμην δι' εὐχῆς μαθεῖν παρὰ τοῦ Φοίβου Τιτᾶνος Ἡλίου τὴν τοῦ κόσμου κτίσιν καὶ τίς ἐποίησεν αὐτήν. Ἐμφέρεται γὰρ ἐν τῇ αὐτοῦ ἐκθέσει διὰ ποιητικῶν στίχων οὕτως·*

Ὦ ἄνα Λητοῦς υἱ', ἑκατηβόλε, φοῖβε, κραταιέ, κτὲ (Lob. Aglaoph. p. 468 sq.).

Omnino enim mos erat veteribus philosophis obscura tractantibus cum ab omnibus diis deabusque tum „rite ab eo dicendi principia capere, quem unum omnium deorum et hominum regem esse omnes docti indoctique consentirent." (Cic. de rep. I, 36, 56; cf. Arat. Phaen. v. 1; Plat. Tim. 27 C, D; Legg. 893 B; Plot. Ennead. V, 1, 6; alios).

la doctrine et quelques expressions devenues sacramentelles dans son école. Quant à la conception et à la mise en oeuvre du morceau, il faut l'attribuer sans doute à quelquun de ces mystiques alexandrins, qui mettaient la prière au nombre des devoirs imposés par la philosophie."

III.

[Versus Tiberiani.]

Amnis ibat inter herbas valle fusus frigida
Luce ridens calculorum, flore pictus herbido.
Caerulas superne laurus et virecta myrtea
Leniter motabat aura blandiente sibilo;
Subtus autem molle gramen flore pulcro creverat:
Tum croco solum rubebat et lucebat liliis
Et nemus fragrabat omne violarum sub spiritu.
Inter ista dona veris gemmeasque gratias
Omnium regina odorum vel colorum Lucifer
Aurea forma eminebat flos Dionaeus rosa.
Roscidum nemus rigebat inter uda gramina;
Fonte crebro murmurabant hinc et inde rivuli,
14 Quae fluenta labibunda guttis ibant lucidis;
13 Antra muscus et virentes intus myrtus vinxerant.

Cod. Harl. 3685 (vide ad. c. I.) fol. 25 b.

Inscriptum: Incipit versus Teberiani. — 1 fussus. — 3 Cerulas supernae — mirtea. — 4 mutabat. — 5 florea dulco. — 6 Et croco. — 7 Tum nemus fraglabat o. violarū spu. — 8 donaueris — gracias. — 9 odorum et colorum. — 10 Auro flore praeminebat forma dionis rosa. — 14 labebunda. — 13 in cod. inter verba „intus“ et „vinxerant“ lacuna est.

---

1. *herbas:* arva: vol. Bs.
5. *pulcro:* emend. Ries.; Bs. scrips: adulto.
6. Vocabula initio versuum 6 et 7 posita inter se mutavit Bs.
7. *sub* vel „de“ Bs. suppl.; cum numero versus apte confert idem Perv. Ven. v. 55.
9. Ut „omnium regina odorum“ revocandum est ad „Inter ista dona veris“, ita „colorum Lucifer“ spectat ad „gemmeas gratias“, atque ipsa illa ambiguitate vocis „gratiae“ nascitur venusta sane metonymia „colorum Lucifer.“

   vel: corr. Bs. et cft. Perv. Ven. v. 53.
10. Ex tribus quas Baehrensius proposuit coniecturis haec mihi probatur: qua omnia fere, quae in codice scripta sunt, conservantur.

14 *labibunda:* verbum videtur a Tiberiano novatum esse.

13 *myrtus:* suppl. Bs.

Has per umbras omnis ales plus canora quam putes
Cantibus vernis strepebat et susurris dulcibus;
Hic loquentis murmur amnis concinebat frondibus,
Quis melos vocalis aurae musa zephyri moverat.
Sic euntem per virecta pulchra odora et musica
Ales amnis aura lucus flos et umbra iuverat.

---

15 canora quam potest ($\overline{pt}$). — 17 Hinc. — 18 Quas — zefri. — 19 pui recta. — 20 Alis — unbra uiuerat.

Hoc versuum ordine omnia bene se habent: nam primum totum (nemus) ponitur, quod sequuntur partes (rivuli, antra), quae omnia comprehenduntur verbis: „has per umbras".

15 *plus* pro „magis" positum; cf. Nemes. ecl. 4, 72: plus formosus.

19 *et* particula in ultima parte enumerationis posita rarissime invenitur. Quae tacite emendata sunt Baehrensii libro debeo.

Deinceps quaerentibus nobis, ut erat propositum, num omnia haec carmina Tiberiano tribuenda sint, via quasi ipsa re demonstratur: carmen enim illud primum a nobis tractatum, quamquam in codice Tiberiani nomen non prae se fert, tamen sine ulla dubitatione — ut Baehrensius recte judicat — ei vindicandum est, cum Servius grammaticus — gravis ille quidem auctor — ad Verg. Aen. IV, 136 versum huius carminis tertium Tiberiani nomine addito laudet. Itaque nobis hinc proficiscentibus huius carminis grammaticae, rhetoricae, metricae rationes cum ceterorum in comparationem vocandae sunt. Neque tamen omnia illa carmina eadem trutina pensanda sunt: nam in iis, quae in codd. mss. sub nomine Tiberiani feruntur, nisi insunt, quae nimis a Tiberiano abhorreant, causa non est, cur codicibus diffidamus — contra id, quod nomine caret (de avicula cf. p. 30 adn. 17), Tiberiano non vindicandum est, nisi satis manifesto cum eius propria natura et indole concinit.

His praemissis ad rem ipsam aggrediamur. Atque ex rebus grammaticis carminis primi hae inferiorem Latinitatem indicant: v. 10: sub quo custode pericli commendas natum; v. 18: quos aurum servit in usus; v. 19: venditur; v. 28: famis (antiqua affectasse Latinitatis labentis macula est).

De elocutione autem haec habemus: Sententias Tiberianus aliis verbis repetiit (vv. 1—4 cf. 24—26; v. 5 cf. v. 19; v. 6 cf. v. 23), neque in singulis rebus enarrandis singulis verbis contentus fuit (vv. 3—4; 5; 8; 10—11; 12; 13—14; 22). Ex figuris rhetoricis binis locis antithesin (v. 19; 21) et apostrophen (10 sq.; 23 sq.), quater anaphoram (1, 3, 5; 12; 22; 24—25) adhibuit. Praeterea notanda est abundantia periodorum relativis pronominibus cum uno verbo explicando coniunctarum; omnino tumor quidam et verbositas minime sententiosa in toto carmine invenitur.

At melius res metrica se habet; in qua enarranda eum ordinem sequemur, ut primum de pedibus versuum, deinde de caesura et rhythmis, denique de elisione agamus.

Primum igitur observandum est, nimis dactylorum tribus (vv. 19, 20; 26), nimis spondeorum quattuor versibus (vv. 2; 1, 10, 17) inesse (nam vv. 11, 12, 13, 22, quia ultimo loco trochaeum habent, his non adnumerandos esse puto).

Duobus autem locis versus inveniuntur, qui eosdem numeros eandemque interpunctionem continuant (14—15; 24—25); ex quibus vv. 24—25 figurae apostrophes non inepti sunt.

Breviter tantum attingendum est, in extremo versu ter breves, quae non in consonam exeunt, syllabas collocatas esse (vv. 13, 20, 24).

Caesura vero semiquinaria septies decies fere, semiseptenaria novies usus est, bis post quartum dactylum interpunxit (24, 25), quamquam illae non satis constant, cum viri docti multis locis, quae sit statuenda caesura, dissentiant; semiseptenariae aut semiquinaria, aut semiternaria cum fine verbi post III trochaeum accedunt auxiliariae; neque plus semel haec III trochaei norma migrata est (v. 6).

Spondiaca porro verba in primo pede septies fere (1, 3, 5, 10, 16, 19?, 22?, 23, 27), in quarto quinquies posuit (vv. 7, 12, 18, 19, 23); excepta tamen voce „auri“ toties arte quadam repetita in primo pede duae, tres in quarto supersunt: ex quibus v. 5 spondiaca vox paulo durior est propter caesuram semiseptenariam, sed mitigatur quodammodo, quod etiam semiquinaria adest.

Omnino, ut omittam v. 6, qui durior est vocabulo choriam-

bico inter arsim II et IV posito, dicendum est nusquam ne subtiliores quidem pedum leges migratas esse.

Restant elisiones, quae binis locis longarum (19, 22), mediarum (9, 15), brevium (6, 20) exstant; atque omnes recte se habent, nisi quod semel in thesi II praesente caesura semiquinaria media syllaba elisa est (v. 9), et semel pede primo elisio spondiaci verbi in brevi admissa est (v. 19); sed hic paratur venia repetito auri vocabulo; semel praeterea trochaeus in longa acuta elisus est (v. 6).

Itaque, ut omnia colligamus (nam de productis syllabis et de *o* finalis quantitate nihil monendum est), quamquam in carminis sermone quaedam corruptioris Latinitatis maculae insunt neque sententiae verborum copiae respondent, tamen in metrica Tiberiani arte pauculis exceptis nihil offendit.

Nunc ad carmen II transiens quae inferioris Latinitatis sunt afferam. Sunt vero haec: v. 2: milleni; v. 4: affatus (passive usurpatum); v. 11: involvier (ex imitatione antiquorum); v. 13: austum (cf. „famis" I, 28); v. 23: totus pro „omnis"; v. 29: mundanus; v. 31: congrex.

Neque ita elocutione a carmine I abhorret, ut non quaedam utrique communia inveniantur, qualia sunt: copia verborum interdum superfluens, qua si non obscurantur res tractatae, certe non expediuntur (cf. v. 12 sq.: iterum reduces — referri — edeat — refluumque iterum fiat; vv. 18—20; v. 26: creatus — genitus — factus); etiam anaphorae figura duobus locis usurpata est (v. 7; v. 21—23); neque absunt periodi illae relativae de quibus dixi (1; 2; 5), et omnino substantiva multis attributis illustrantur vel potius onerantur.

Sed in re metrica, levius illud si excludes, quod 9 versus dactylorum (6, 9, 12, 14, 18, 24, 30, 31, 32), 7 versus spondeorum (2, 4, 25, 29; 5, 11, 28) abundantia laborant[14]), omnia fere concinent cum carmine priore. Duobus enim locis, ut ad singula progrediamur, idem rhythmus continuatus est (19—20; 31—32); breves autem syllabae — quamquam hoc quidem minoris momenti est — in vocalem exeuntes quater in extremo

[14]) De vv. 7, 15, 17, 23 cf. quae supra p. 27 diximus.

versu collocatae sunt (20, 21, 24, 31; ubique est particula „que“).

In caesuris vero utriusque carminis ratio simillima est; nam semiquinarias undeviginti fere, tredecim semiseptenarias repperi, quibus accedunt auxiliariae aut semiquinaria aut semiternaria cum fine verbi post tertium trochaeum, quae tertii trochaei norma et hic semel migrata est (v. 14).

Accedit quod eodem fere numero spondiaca verba in primo (v. 11, 25) et quarto pede (15, 21, 28) adsunt.

Porro subtiliores pedum leges ubique servatae sunt praeter v. 31, ubi illud „dissimilique“ parum placet.

Sequuntur elisiones, quae longarum semel (v. 4), brevium quater (11, 12, 12, 14) inveniuntur; duae autem paulo duriores sunt: v. 21 in thesi II (caesura est semiquinaria), v. 14 in thesi III (caesura est semiseptenaria), sed venia inde paratur, quod syllabae elisae breves sunt.[15]) .

Semel praeterea trochaeus in brevi non acuta (12), semel spondeus (sive trochaeus) in arsi II elisus est (4).

Ac ne hic quidem quidquam de productis syllabis monendum est — nam in versu 30 ultima vocis „sustuleris“ non arsis vi producta est, sed finalis -*is* in secunda persona perfecti et futuri II per omne tempus *i* commune habuit; de *o* finalis quantitate non satis constat (4).

Itaque cum pauca tantum inveniantur, quae minus ad carmen I quadrent, contra multa neque ea levia, quae cum eo conveniant, hoc carmen Tiberiano tribuendum esse duco.

Quibus cum accedat illa quoque causa, quod Servius ad Verg. Aen. VI, 532 prolixiorem Tiberiani de mundo disputationem significat[16]), colligi licet Tiberianum a Servio commemoratum eundem esse ac Tiberianum huius carminis auctorem. Tiberianus igitur scripsit de mundo, cuius carminis nobis superest haec praefatio.

Neque enim verisimile est hoc carmen prooemium fuisse libri istius de Socrate, quem Fulgentius hariolatur, et cui Baehrensius l. c. „versus Socratis philosophi“ inserit. Nam, ut praetermittam, quod adhuc latet, quam ob rem Socratis nomen

---

[15]) V. 4 „dignum est“ non pertinet ad elisionem.

[16]) Riese, Anthol. Lat. II praef. p. X not. 5.

versus hi prae se ferant, certe in illo carmine nihil exstat nisi de deo et mundo.

Nihilo magis causae suppetunt, cur carmen III Tiberiani esse negemus: Nam quod v. 7 „sub" (vel „de") pro ablativo instrumentali, v. 9 „vel" pro „et", v. 15 „plus" pro „magis", vv. 19 et 20 „et" in ultima parte enumerationis pro „que" legitur, morem inferioris aetatis indicant; huc etiam referendum est vocabulum „labibundus" (v. 14), quod ad suum arbitrium poeta finxisse videtur.

Iam in re metrica iisdem fere rationibus quibus auctor „Pervigilii Veneris" utitur. Locis enim paribus et imparibus spondei admittuntur; simillimus etiam usus est solvendarum arsium, quarum duo exstant exempla in vocabulis plus quam disyllabis, quae dactylo non clauduntur (v. 7 cf. Perv. Ven. v. 55; v. 18 cf. Perv. Ven. v. 76); quater breves syllabae, quae non in consonam exeunt, in extremo versu positae sunt (3, 10, 11, 19).

Caesuram porro omnes versus legitimam post sedem quartam habent.

Neque usquam leges numerorum subtiliores migratae sunt.

Restant elisiones, quae omnes (sunt vero quinque in brevi vv. 5, 9, 10, 19, 19) recte se habent, cum non adhibeantur in syllaba quae in caesura aut statim post caesuram sit.

Iam quoniam ad carmen istud de avicula pervenimus, quae prima, quae ultima tractemus, nescimus, cum omnia pari vilitate laborent. Etenim bene cum illo „nimis" cotidiani sermonis dicendi genus convenit, ex quo nonnullos flosculos decerpamus, ut „explere volatus", „sublimia circuire", „iacere sub imis"(!), „exemplum tenendum capere", „tonare (vel sonare) secundis." Accedit quod carmen testudineo quasi gradu procedit, ne dicam retro se fert, quae res in tantulo carmine tantulae sententiae tolerabilis non est. Praeterea notanda est antithesis perversa (v. 6). Quae cum ita sint, causam non video, cur Tiberiano, qui certe in eligendis apte ad carminis materiam metris iudicium non neglexit, versus istos inepto rei metro conscriptos obtrudamus. [17])

[17]) Liceat mihi in calce operis versiculos istos in adnotatione saltem legentibus repraesentare; quae Baehrensius mutavit in textum recepta sunt: equidem corrigere quidquam in carmine pessimo nolui.

Haec habui de Tiberiani fragmentis, quae dicerem. Quae restant admodum pauca sunt: neque enim ad ordinem temporum, quibus singula haec carmina scripta sint, constituendum quidquam afferri potest, et de Tiberiani ipsius aetate ex his fragmentis hactenus iudicare licet eum inter Apuleium et Servium floruisse.

[De avicula.]

Ales, dum madidis gravata pennis
Udos tardius expleat volatus,
Defecta in medio repente nisu
Capta est pondere deprimente plumae.
Cassato solito vigore pennae,
Quae vitam dederant, dedere letum;
Sic, quis ardua nunc tenebat alis,
Isdem protinus incidit ruinae.
Quid sublimia circuisse prodest?
Qui celsis steterunt, iacent sub imis!
Exemplum capiant nimis tenendum,
Qui vani et tumidi tonant secundis.

Cod. Harl. 3685 fol. 26 b. Inscriptum: Incipit Discriptio de Avicula. — 1 madida. — 3 Daepta in medio. — 4 de praemente. — 5 Cassata. — 6 loetum. — 7 arduam. — 9 sublima. — 10 steterant. — 11 tenendo. — 12 uanis tumidi.

De re metrica huius carminis haec addenda sunt: Metrum phalaecium omnibus temporibus usque ad medium aevum acceptum erat; et plerumque in basi spondeus usurpatus est.

De rythmis autem et de productis finalibus nihil monendum est, neque de caesura quidquam dici potest, quippe quae in hendecasyllabo phalaecio nulla certa inveniatur; Restant elisiones, quarum una minus probatur, quod longa finalis in arsi eliditur (12); praeterea duae in brevi exstant altera in arsi (3), altera in thesi (4).

VITA.

Raimundus Victor Guilielmus Alexander Franciscus Oehler natus sum Halis Saxonum a. d. X. Cal. Jun. a. MDCCCLII patre Francisco, magistro in schola Latina, quem ante hos tredecim annos de vita decessisse lugeo, matre Alexandrina e gente Sussmann, qua superstite gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis imbutus inde ab anno MDCCCLXI frequentavi scholam Latinam Halensem. Maturitatis testimonio instructus primam adii universitatem litterarum Halensem, deinde Gottingensem, unde rursus Halas reverti. Scholis interfui virorum illustrium: Bernhardy, Keil, Zacher, Kramer, Sauppe, Wachsmuth, W. Müller, Ulrici, Gosche, Haym, Rosenberger, Heine, Ewald, Hense, Tschischwitz. Sodalis fui per annum seminarii philologici, quod Bernhardyus et Keilius moderabantur, paedagogici, cui praeerat Kramerus. Praeterea benigne Keilius ut philologicae, Zacherus ut theodiscae societatis particeps essem permiserunt. Quorum omnium virorum piam gratamque semper memoriam retinebo; neque minus A. Riesii Francofurtensis, qui in hac dissertatione conscribenda me et consilio et libris benigne adiuvit.

Sententiae controversae.

I.

Theocrit. Idyll. XVII brevi post a. 276 scriptum est.

II.

Herodot. I, 84 legendum est: *ὁ δὲ Μήλης κατὰ τὸ ἄλλο τεῖχος περιενείκας, τῇ ἦν ἐπίμαχον, τὸ χωρίον τῆς ἀκροπόλιος κατηλόγησε τοῦτο κτἑ* sola interpunctione mutata.

III.

Herodot. I, 170 post verba: *ἦσαν δὲ καὶ αὗται χάλκεαι* interponenda sunt haec: *καὶ ἦσαν καταβάσιες ἐξ αὐτῶν φέρουσαι αὗται ἐς αὐτὸν τὸν ποταμόν κτἑ.*